eũ ſic venientẽ digne ſuſcipiẽtes: ab eo ſalutis bñdictio-
nẽ ꝯſeq̄ mereamur nũc ⁊ in excelſis: hic ⁊ ĩ futuro. Amẽ.

¶ Sequitur canonis expoſitio que eſt pars miſſe altera et principalis.

Lec. 15.
Canon

TE igitur clementiſſime pa
ter. Poſt partẽ primã miſſe q̄ preparato-
ria eſt ad ſequẽtes. Sequiꝛ pars ſc̄da que ca
non dicitꝛ: in qua ꝑficitur eukariſtie cõſecra
tio. Hec autem dicitur canon: quia canon dicitur inſti-
tutio vel regula. Quia hec verborum connexio regula

eſt ad venerabilis eukariſtie conſecrationẽ ordinata: par
tim a xpo: partim a patrib⁹ cõſtituta. A xpo q̄dẽ inſtitu-
ta ſunt verba ſubſtãtialia q̄ formã integrãt ↄſecrationis.
Cetera vero verba q̄ ad dei laudẽ dicunt᷑: ac orones q̄ ꝓ
populo offerũtur: non vno tẽpore: nec ab vno tm̄: ſed di
uerſis tẽporibus a diuerſis edita ſunt: ⁊ ꝑ beatũ Gelaſiũ
papã qui quinquageſim⁹ prim⁹ fuit a beato Petro ſi-
mul ſunt ordinata. Quãuis ⁊ nõ nulla poſt iſtũ ſint a ſũ
mis pontificib⁹ addita. ☞ Dicitur etiã ſecretũ ratio
ne ſignificationis: operationis: ⁊ ꝓlationis: qm̄ ſignificat
ſecretiſſima fidei miſteria. Fiunt ⁊ ibi ſecretiſſime operatio
nes oĩ creato intellectui in cõprehenſibiles in ſubſtãtia-
rũ cõuerſionib⁹. de quibus infra dicetur. Debet quoqȝ
pars illa miſſe ſub ſilẽtio ꝓferri: ne tanti miſterij verba ꝑ
quottidianũ vſum ⁊ manifeſtã ꝓlationẽ vileſcãt. Atqȝ
vt ſacerdos hec verba ſilenter ꝓferens: maiori deuotio
ne cordis in deũ ferat᷑: qui exauditor eſt cordis: nõ clamo
ris vocal᷑. Ea ꝓpter etiã ſacerdos celebrãs q̄buſdã corti
nis velatur in laterib⁹ altaris dependentib⁹: ne a conſpi
cientibus ipediatur ei⁹ deuotio: qꝛ ingredit᷑ ſecretũ fidei
maximũ. In cui⁹ figura: ſctãſanctoꝝ in moſayco taber-
naculo: depẽdente velo claudebant᷑: nec niſi ſũmo ſacer
doti licuit introire: ⁊ hoc ſemel tm̄ in ãno: vñ ſtatutũ eſt
de vi. ⁊ h cl'i. c. i. vt nulli laicoꝝ liceat in eo loco cõſiſtere:
vt ſacerdos poſſit libere ſacramentũ. i. ſacrũ ſecretũ de-
uotius celebrare. Dicit᷑ tertia pars illa miſſe actio: vn-
de ⁊ ſacerdos ad illã partẽ ꝓueniens dr̄ eſſe in actione.
Duplici aũt rõne dr̄ actio. Prima qꝛ i ipſa ſacratiſſimũ
xpi miſteriũ peragit᷑: quo ex maxima ⁊ inefabili charitate
ꝓ ſpũali refectione ꝑegrinantib⁹ in via dedit carnẽ pro-
priam in cibũ: ⁊ ſanguinẽ ſuũ in potũ: ſub velamine ſpe
cierũ panis ⁊ vini. Et qꝛ hec fiũt miſericordi ⁊ libera vo

luntate dei:recte dicitur actio:vt diſtinguit̄ cōtra factio
nē. Scdo dicit̄ actio:quia ibi agit̄ noſtra cauſa corā ſū
mo iudice xpo deo nro:p ſacerdotē:tanq̄ p nunciū inter
mediū inter ſponſum ⁊ ſponſam:xpm ſcꝫ ⁊ eccliam: qui
deducit cauſam eccleſie:impetrās ei orationibus ⁊ ſacri
ficio plurima dona:nūc conuerſionē peccatoꝝ p gratiā:
nūc ꝯſeruationē iuſtoꝝ in grā.nūc cōtra mūdi pericula
firmamentū:nūc cuſtodiā angeloꝝ:nūc refrenationē tē
tationū:nūc purgādaꝝ animaruꝫ liberationem:⁊ ita de
alijs multis. Dicit̄ quarto ſacrificium quia in ea offert̄
deo patri ſūmū ſacrificiū:vnigenitus ſcꝫ filius ſub ſpe-
cie ſacramētali occultatus. De quo infra latius dicetur.
His ergo quattuor nominib⁹:canon:ſecreta:actio:ſacri
ficiū:inuenit̄ hec ſecūda pars miſſe nūcupari. De quo la
Lec.20. tius habet̄ lec.15. ☞ Diuidit̄ aūt canonis textus in
ſex partes principales. In prima petit̄ a deo benedictio
munerū panis ſcꝫ ⁊ vini:que pro ecclia offerunt̄. Scdo
ſequit̄ ſctōꝝ inuocatio quoꝝ precib⁹ ⁊ meritis nobis do
na a dño conferunt̄:ibi. Cōmunicantes. In tertia petit̄
oblatoꝝ acceptatio:qua electi a perfidis diuiduntur:ibi.
Hāc igit̄. In quarta parte ponit̄ verboꝝ forma quibus
perficitur conſecratio:⁊ panis viniqꝫ ſubſtātie in corpus
⁊ ſanguinē xpi cōuertunt̄:ibi. Qui pridie. In quinta po
nitur paſſionis cōmemoratio ac ſalutis petitio his q̄ ſa-
crificio perfruunt̄:ibi. Unde ⁊ memores. In ſexta addi
tur refrigerij poſtulatio animab⁹ defunctoꝝ cū iterata
ſanctoꝝ inuocatione:quatinus petita:eoꝝ meritis a dño
cōcedant̄:ibi. Memēto etiā dñe. Prima pars ſubdiui
dit̄:quia primo petitio ad patrē dirigit̄:vt appoſita mu
nera ſanctificet. Secundo fit ſpecificatio pro quib⁹ offe
rantur ſacrificia:ibi. In primis.

Circa p̄mū p̄mo captat beneuolētiā ei⁹ q̄ petit̄ dicēs:

qꝛ ſanctus dñs deus ſabaoth  o miſericordiſſime ⁊ preſtabilis ſuꝑ malicia.

**TE igitur clementiſſime pater Per ieſum chriſtum fi**

humiles

**liuũ tuũ dominũ noſtrũ ſupplices**

affectu cordis  expreſſione vocis

**rogamus et petimus.**

☞ Circa hanc canonis partem. Notandũ primo: ꝙ nõ ſine miſterio prima canonis littera eſt T lr̃a t. cui correſpõdet thau in hebreo. Habet eñ lr̃a crucris formã: qua ſignificati ſunt q̃ ab ãgelo ꝑcutiẽte liberati ſunt vt habet̃ Eze. 9. Hoc etiã fuit ſignũ quo in Apo. c. 7. legunt̃ ſignati in frõtibꝰ ſuis electi ſerui dei: prius q̃ꝫ nocumẽta inferrent̃ terre ⁊ mari. Huiꝰ figurã habuit lignum in quo moyſes ſuſpẽdit eneũ ſerpentẽ ĩ deſerto: vt iſpiciẽtes ſanarent̃ a morſibꝰ venenatoꝝ ſerpentũ: vt habetur Nũeri. 7. Que recte in principio officij ɔmemorationis dñice paſſionis: viſui offert̃: quatinꝰ ſua figura ɔmonere faciat celebrãtẽ paſſionis ⁊ crucis xp̃i: qua intus ſignatꝰ cuſtodiat̃ ab angelo exterminatore: ac viruletõ ſerpẽte: ne veneno reprobaꝝ cogitationũ mentẽ eiꝰ inficiat ac vitã ſpũalem quam hoc ſacrificium preſtare ſufficit, tollat.

☞ Notãdũ ſc̃d̃o circa hoc nomẽ (Pater) ꝙ nomẽ pr̃ vt attribuit̃ deo dupliciter accipit̃. Uno mõ eſſentialiter vt ɔuenit toti trinitati: ⁊ cuilibet ꝑſonaꝝ ɔiunctim ⁊ diuiſim in ſingulari. Hec eñ eſt ɔditio terminoꝝ eſſentialiũ in diuinis. Et illo modo dicit̃ pr̃ pricipiũ ꝓductiuũ aut gubernatiuũ alteriꝰ: hoc mõ deꝰ dicit̃ pr̃ eoꝝ q̃ creauit ⁊

quos gubernat ⁊ alit: ſm illud Deutero. ca. 32. Nõne ipſe
eſt pater tuus: qui poſſedit: fecit: ⁊ creauit te: hoc mõ pri-
ma pſona eſt pater. filiꝰ eſt pater: ⁊ ſpũſſanctꝰ eſt pr̃: ⁊ hi
tres nõ tres pr̃es. ſ; vnus pater: ſicut nõ tres creatores: ſ;
vnus creator: nec tres dñi: ſ; vnꝰ dñs. Sic etiã accipitur
in orõne dñica vt infra docebit. Et generaliter: qñ non
ponit reſpectu termini iportantis vnã pſonã diſcrete ab
alia: vt qñ ponit reſpectu alicuiꝰ termini iportantis ope
rationẽ ad extra. i. reſpectu creature. Jlle eñ opationes
cõmunes ſunt oĩbus tribꝰ: q̃dq̃d eñ pr̃ operat in creatu
ra: opatur ⁊ filiꝰ: opatur ⁊ ſpũſſanctus: nã quoꝝ vna eſt
eſſentia: etiã opatio eſt indiuiſa. Alio mõ accipit perſo
naliter ſiue notionaliter: ⁊ ſic pater dicit tantũ gñatione
ꝓpriiſſime dicta: qua viuẽs: generat viuẽs nõ tantũ ſibi
ſimile in ſpecie: ſ; in idẽptitate eſſentie. Et ſic pr̃ tñ dicit
de prima pſona in diuinis: ⁊ nõ de ſcda: nec de tertia. Et
ſic accipit qñ ponit reſpectu termini iportantis pſonã.
Et ita accipit hic: q; ſequit p filiũ tuũ ⁊c. qd importat ſe
cundã pſonã diſcrete a prima ⁊ tertia. De hoc lectiõe. 20.
☞ Et licet hic accipiat pſonaliter: nõ tñ cũ excluſio-
ne aliaꝝ perſonaꝝ. Nam eo modo quo genitor pr̃ nr̃ eſt:
etiã filiꝰ pater nr̃ eſt. etiã ſpũſſanctus pr̃ nr̃ eſt. Eſt enim
pater nr̃ paterna virtute ac potentia nos creãs. Pater-
no affectu dulciſſime de nobis cogitãs. Paterna proui
dẽtia nos bonoꝝ ſuoꝝ heredes ordinãs. Paterna diſci
plina inſtituẽdo nos ſanctificãs: et ita de alijs paternam
pietatẽ condecentibꝰ: q̃ tñ oĩa nõ ſine filio ⁊ ſpũſancto in
nobis operat. Jn eo vero qd pater dicitur et eſt filij ſui
dñi noſtri ieſu xpi: excluduntur alie perſone.

## Per ieſum chriſtum filiũ. t. do. n.

☞ Orationes nr̃e quatinꝰ ſint impetratorie: dirigẽde

ſunt ad patrem per filiū: qui mediator eſt inter patrem ꝛ
nos: vt dicit. apo. j. ad Thio. 2. Mediator dei ꝛ hoīm ho
mo chriſtꝰ ieſus. Eſt ꝛ aduocatus noſter. vt. Joā. docet
Aduocatū habemꝰ inquit a pud patrē: ieſum xp̄m iuſtū
Et ipſe eſt propitiatio ꝑ peccatꝫ noſtris: nō pro nr̄is tm̄:
ſꝫ etiā pro totius mūdi. j. Joā. 2. Per hūc quid q̄d petie-
rimus patrē ꝯſequemur Sic eīn nobis iure iurādo pro-
miſit filius Amē amē dico vobis. Si quid petieritis pa
trem in nomine meo dabit vobis. Joā. 16. Ideo ſicut fre
quēter in omibus oratōibꝰ ſuis eccleſia: ita ꝛ nūc princi-
pio canonis orationē ſuā format ad patrē: in nomine filij
dicens. Per ieſum xp̄m filium tuū dn̄m noſtrum. Qui-
bus verbis deſcribitꝰ xp̄s qnintupliciter. Primo quātū
ad effectum ſalutarem: qꝛ ieſus. qđ interpretatur ſalua-
tor: ipſe enim ſaluū faciet populū ſuū a pctīꝫ eorū. Mat. j
Secundo quantū ad dignitatē regalē qꝛ xp̄s qđ interp̄-
tatur vnctꝰ. Reges eīn ſacerdotes ꝛ prophete vngebantꝰ
in lege: et ipſe propheta fuit rex ꝛ ſacerdos. Tercio q̄ntū
ad proprietatē pſonalē: cū dꝛ filium tuū. Nā generatione
paſſiua pſonaliter diſtiguitꝰ a patre. Quarto q̄ntū ad p̄ſi
dētiā vniuerſalē cū additꝰ dn̄m ipſi data ē oīs poteſtas
in celo ꝛ in terra. Mat: 18. Quinto q̄ntū ad perfectū hu-
manalē qꝛ noſter. Si quidē nr̄ ieſus: nr̄ xp̄s: noſter filius
nr̄ dn̄s: paruulꝰ natus eſt nobis. ait. Iſa. c. 9. et filius da-
tus eſt nobis Datꝰ inqꝫ in antidotū nr̄e ſaluatōis: in pa
bulū nr̄e refectionis: in ſacrificiū nr̄e reconciliationis: in
ſacramentum noſtre ſanctificationis: in precium noſtre
redemptionis. qꝛ ieſꝰ. In aduocatū nr̄e allegatōis: in ma
giſtrū nr̄e eruditōis: in lumē noſtre illuminatōis: in dire
ctionē nr̄e viatōis: qꝛ xp̄s. i. vnctus. In ſcutū noſtre pro
tectōis: in propugnatorē nr̄e defenſionis: in iudicē noſtre
remuneratōis: qꝛ dn̄s noſter. Magna igitꝰ fiducia pre-

ces fundimus ad te patrem clementiſſimū: vbi aſſiduū
habemus interpellantem ieſum: prudentiſſimū aduoca
tum xp̄m: mediatorē acceptiſſimū patris celeſtis filium
effectus petionis largitorē: cum patre potētiſſimū: celi et
terre noſtrum ⁊ vniuerſitatis dn̄m. Textus

placita ⁊ gratuita quia a filio tuo inſtituta — ſanctificādo vt idonea ſint diuino ſacramēto

Lec. 21. **Vti accepta habeas. ⁊ benedicas.**

pani et vini — a diuina liberalitate nobis conceſſa — a nobis pie recepta

**Hec ✠ dona. Hec mu ✠ nera**

a nobis deo oblata rōne ſignificationis ⁊ applicatōis diuino vſui — ſine macula cordis et corporis offerenda

**Hec ſancta ✠ ſacrificia illibata**

Captata beniuolentia ei⁹ q̄ petit in verbo. Te pater cle-
mētiſſime. Cōmemorato etiā mediatore cui⁹ merito ora-
tio noſtra p̄ri acceptabilis redit: in verbo Per ieſū xp̄m
⁊c. Inſinuato deniq; ſupplicādi effectu: quo mens in ſu
blime tollit: in verbo Supplices rogam⁹ ⁊ petim⁹. Seq̄
tur expreſſio eoꝝ q̄ a clementiſſimo patre obtineri deſide
rant: ſcȝ vt hec corpalia dona a deo data: ⁊ munera a no
bis accepta: ſint p̄ri grata ⁊ placida: atq; fiant idonea ſa
crificia ꝓ noſtris peccatis offerenda: ⁊ ꝑ hoc ſancta diui-
no cultui deputata: ⁊ illibata nulla mētis ⁊ corporis imū
dicia maculata: hoc ad lr̄am petit. Alias expoſitōes ti-
picas: atq; quē admodū veterȝ legis ſacrificia nō placu
erūt: ⁊ ideo hec noua inſtituta ſint Require lectōe. 21.

Deſignatione crucis

☞ Dū aūt ſacerdos hec ꝓfert: trib⁹ crucibus panē ⁊
vinū ꝯiūctim ſignat: quas ſignationes i ſequētib⁹ freq̄n
ter iterat. Pro quo notādū: ꝙ hui⁹ modi ſignatōes nō
fiūt tātū ad ſanctificandū: ⁊ ꝯſecrandū oblata. Alio q̄n
poſt ꝯſecrationē eukariſtie fieri nō deberent: cui⁹ tamen

contrariũ fit. Sed principaliter ideo fiunt: vt ꝑ huiꝰ mo-
di crucis ſignationes: modꝰ ⁊ ordo dñice paſſionis rep-
ſentet. Cum enĩ ſacrificiũ illud eſt ꝑfectiſſimũ meõriale
dominice paſſionis: vt nihil deſit quo vel viſus vel audi
tus tã ſalubri memorie cooperet: vniuerſa ad huiꝰ ſacrifi-
cij ꝯſecrationẽ ꝯcurrẽtiã: ad paſſionis dñice repreſenta-
tionẽ ſunt ordinata. Veſtes ſcꝫ ⁊ vaſa: palle: ⁊ tabula: ce
rimonie ⁊ verba. Cũ ergo xp̄s paſſꝰ ſit in cruce. ꝯuenien
ter ꝑ ſignũ crucis eiꝰ paſſio repſentatur. Et qm̃ paſſio eius
q̄buſdã gradibꝰ cõpleta eſt: ſiq̄dem alique paſſiõis ꝑtes
preceſſerunt: crucifixionẽ: alique in cruce ſũt ꝯſummate:
ideo vt cõgruo ordine ſingula repſententur: q̄ crucifixionẽ
preceſſerũt repſentantur ꝑ crucis ſignationes ante ꝯſecra-
tionẽ factas: que vero in cruce paſſa aut poſt crucẽ acta
ſũt: ꝑ eas q̄ poſt cõſecrationẽ fiũt deſignãtur. Crucẽ p̄ceſ-
ſerũt xp̄i traditio ad mortẽ. Vẽditio: ⁊ mortis eius in inſti
tutõe huius ſacramẽti p̄ſignatio. Et ſm̃ hoc ante ꝯſecra
tionem terſignantur oblata. primo hic. Scđo in v̄bis. Be
nedictã: aſcriptã: ratam. Tercio in verbis: corpus ⁊ ſan-
guis. ☞ Quo ad primũ: in hijs verbis. Hec dona.
Hec mũera Hec ſãcta ſacrificia illibata: ter ſignatur hoſtia
Ad deſignandũ triplices pſonas a q̄bus traditꝰ eſt xp̄s
Traditus enĩ eſt a deo trinitate. A patre preordinando
eius paſſionẽ ad hũani generis ſalutẽ: dandoqꝫ homini
chriſto voluntatẽ paciendi: vt diceret. Non mea ſed tua
volũtas fiat. Mat. 26. Et nõ cohibendi occidentiũ ſeui-
ciam: immodãdo eis que cogitauerũt in dñm faciendi fa
cultatem. Nõ haberes in me poteſtatẽ vllam niſi tibi da
tum eſſet de ſup. Hinc paulus: proprio filio ſuo nõ peper
cit deus: ſꝫ pro nobis omnibꝰ tradidit illũ. Ro. 8. Tradi
tus eſt etiam a ſeipſo: quia pati voluit. Ego inquit pono
animam meã: ⁊ iterum ſumo eam. Nemo tollit eam a

Trina hoſtie ſignatio cum cruce

me:ſed ego pono eam a meipſo. Joã.x. Hinc paulus. Ephe. 5. Xps ſeipſum tradidit pro eccleſia. Item a ſpũ ſancto. Is enim eſt qui per os Caypͤhe prophetauit. Expedit vobis vt vnus moriatur ꝓ populo ⁊c. Joã. 11. Secũdo traditus eſt a iuda ꝓprio diſcipulo iudeis. O iuda oſculo filiũ hoĩs tradis. Tertio tradit⁹ eſt a iudeis preſidi Pilato. Matth. 27: loquẽs de funeſto iudeorũ cõſilio ait. Vinctũ adduxerũt eũ:⁊ tradiderũt eũ pontio Pilato preſidi. Prima traditio facta eſt ex charitate. Sic deus dilexit mundũ vt filiũ ſuũ vnigenitum daret. Joã. 3. Scda ex auaricia. Quid vultis mihi dare ⁊ ego vobis eũ tradã. Matth. 26. Tertia facta eſt ex inuidia. Sciebat eñ inquit pilatus ꝙ ex inuidia tradidiſſent eũ. Tradidit ergo illũ de⁹ ex dono. Judas ꝓ munere. Judeus in ſacrificiũ illibatũ: qḋ tñ nõ iudei ſꝫ gẽtes libauerũt. qm̃ ablatũ eſt ab eis regnũ dei:⁊ datũ gẽti faciẽti fructus ei⁹. In hui⁹ ergo triplicis traditõis memoriã: quã fecit de⁹: iudas: iudei: ſinguli ad mortẽ: mortẽ aũt crucis: fiũt tres cruces. Una in verbo. hec dona. Secũda in verbo. hec munera. Tertia in verbo. hec ſancta ſacrificia illibata. Sunt ⁊ alie repreſentationes huius ſignationis. De quibus lec. 21. Sequitur textus.

Lec. 22.
Lec. 23.
Lec. 24.

ordine charitatis — clementiſſimo patri

**IN primis que tibi offerim⁹.**

militãte: q̃ ẽ mltitudo fideliũ hñtiũ cõionẽ in fide ⁊ sacr̃is. — vero dei cultui dedicata. — vl' ꝑ totũ mundũ diffuſa.

**pro eccleſia tua ſancta catholica.**

eccleſiã — ab hereticis ⁊ ſciſmatis: ac ꝑſecutorib⁹ tyrãnis. — a demonib⁹ ⁊ viciis — diſperſam ex infidelib⁹ ⁊ ꝑfidis l' grad⁹ ei⁹

**quã pacificare cuſtodire: aduna**

in obediẽtia charitatis — in proſperis ꝛ aduerſis — tua bonitate non nr̃is meritis

re et regere digneris: toto

vbicunq; diffuſa fuerit q: in oẽm terrã exiuit ſonus eorũ ꝛ in fines orbis terre verba eorũ — ſimul pariter

orbe terrarum vna cum fa

romano ac ſummo pontifice xp̃i vicario pr̃e patr̃ vl'is eccleſie capite vicario — nomẽ põtificis exprimi dz ſcd̃m d̃cretũ gelaſij =

mulo tuo papa noſtro N.

pape. ep̃o ordinario dyoceſis — ſum=

et antiſtite noſtro N. et re

mo p̃ncipe p̃tãte ſeculari — cunctis fidelibus

ge noſtro N. et omnibus

recte gloriãtibus ab orthos grece qđ eſt rectũ ꝛ gl'ia latine — vniuerſalis q: oĩbus hoĩbus tradita

orthodoxis. atq; catholice et

p aplos cõcorditer publicata ꝛ firmata — qui deũ ꝓfeſſione ſcd̃m regulã vniuerſalem ꝛ apoſtolicam vere colunt.

apoſtolice fidei cultoribus

☞ Poſtq̃ȝ ſacerdos deprecatꝰ eſt deũ pr̃em: vt ſua clemẽtia appoſita mũera ſctificet. In iſta ſcd̃a prime p̃tis canonis p̃ticula: ſpecificat ꝓ q̃bus hec ipa dona ꝛ munera deo offerat. Et p̃mo petit ea acceptari ꝓ tota eccl'ia gñaliter In ſcd̃a ꝓ ſũmis eccl'ie capitibꝰ ſpecialiter: ibi (vna cũ famu. t.) Tercio ꝓ oibꝰ recte credẽtibꝰ fraternaliter ibi (ꝛ oibꝰ orthodoxis) Quarto ꝓ q̃buſdã ſp̃ealiter. ibi: Memẽto. Et qm̃ ordo eſt iter eos ꝓ q̃bꝰ petit̃. Sicut ꝛ caritas: q̃ licet quãtũ ad bona ſp̃ualia oibꝰ cõicanda: eq̃liter ſe ad oẽs extẽdat: ſꝫm illđ. Diliges p̃xim ſicut teip̃m nihilominꝰ ordinẽ q̃ndã habet: ſꝫm illud Cañ. 2. Ordinauit in me caritatẽ: q̃ntũ ad diligibili a ꝛ diligẽdi modũ:

atq3 dilectionis effectum: vt tangit magiſter diſt. 29. li. 3.
Unde offerendū eſt prius ꝓ eccl'ia tota: deinde ꝓ perſo
nis ſingularib⁹: qm̄ bonū ꝯmune: bono priuato ⁊ ſingu
lari ꝓponendū eſt ſm̄ philoſophū. 1. Ethi. et ꝑ hoc ꝑſone
publice in ſublimitate ꝯſtitute a q̄b⁹ depēdet res publi=
ca ꝑſonis ſimplicib⁹ ꝑferunt. Hinc apo. 1. Thimo. 2. Obſe
cro primū oīuz fieri orōnes: ꝓ oīb⁹ hoībus ꝓ regib⁹: ⁊ ꝓ
oībus q̄ in ſublimitate ſunt ꝯſtituti. Ecce primū fiende
ſunt orōnes ꝓ oīb⁹ hoībus collectiue. i. ꝓ eccl'ia. Accipi
tur aūt eccl'ia multis modis: vt in lec. 22. Que acceptatio
Eccleſia nes ſic ſūmari poſſunt. Eccl'ia eīn dicit ꝯuocationē rōna
lis creature: ⁊ accipit̄ qn̄q3 in bono ꝓ eccl'ia ſcōꝝ: qn̄q3
in malo ꝓ eccl'ia malignātiū. In bono vꝛiſſime accipit̄
pro ꝯgregatione oīuz fideliū: hoc eſt verā dei cognitionē
habētiū: ſiue ꝑfectā vt habēt āgeli ⁊ bti ī patria triūphā
tes: ſiue īperfectā vt hoīes mortales adhuc ī via militan
tes. Qn̄q3 accipit̄ tm̄ pro eccl'ia triūphātiū in celo: qn̄q3
tm̄ pro eccl'ia militantiū in terra. Et ſic accipit̄ triplicit̄.
Primo pro ꝯgregatiōe oīuz a primo iuſto abel vſq3 ad
vltimū in fine mūdi naſcituꝝ: ⁊ ita ꝯprehēdit ſynagogā
iudeoꝝ ⁊ eccl'iaz xp̄i fideliū. Scd̄o pro ſola ꝯgregatione
Catholica xp̄ianoꝝ: tā preteritoꝝ q̄ꝫ p̄ſentiū q̄ꝫ futuroꝝ. Tertio tm̄
pro ꝯgregatione oīuz xp̄ianoꝝ p̄ſentiū: ſiue nūc exiſtētiū
Et quelibet haꝝ dr̄ eccl'ia vl'is vera. Ad differētiā eccl'ie
rep̄ſentatiue: q̄ eſt ꝯciliū gn̄ale legitime ꝯgregatū. Acci=
pit̄ aūt eccl'ia etiā pro ꝯgregatiōe particulari oīuz ī vna
prouincia: vna dioceſi: aut in vna ciuitate: vl' vna domo
exiſtētiū tā cl'icoꝝ q̄ꝫ laicoꝝ: qn̄q3 tm̄ cl'icoꝝ: qn̄q3 ꝓ vno
hoīe. In propoſito accipit̄ eccl'ia pro eccl'ia vl'i militāte:
nō triūphāte: pro triūphante eīn orādū nō eſt: ſ3 ei⁹ orō=
nes pro nobis ſunt expetēde: ⁊ ideo addit̄: catholica: q̄ ō
Sancta eſt vl'is. Et hec eccl'ia ſctā dicit̄: q̄ꝛuis multos contineat

pctōres: qꝛ diuino cultui dedicata: qꝛ vera fide formata:
qꝛ ſctiſſimo capiti xp̄o ꝯcorporata: qꝛ mēbrorūꝫ ſctitate
firmata. Siq̄dē nunq̄ꝫ deſunt ſancti in eccl'ia: qꝛ veritatꝭ
ſpū gubernata: qꝛ ſanctiſſimis legibꝰ fulcita: qꝛ ſacramē
tis ſanctificantibꝰ adornata: qꝛ p̄ſentia ſpōſi ſui ſuſtētata
Et qꝛ ſola gr̄e ſctificātꝭ ꝯtētiua. Nā extra eccl'iaꝫ nec gr̄a
eſt neqꝫ ſalus Pro hac eccl'ia primo orat' vt collecta ꝛ
adunata ſm̄ diuerſos gradꝰ eiꝰ: vt in ea hierarchicꝰ or=
do ſuperiorꝫ ad inferiores: ꝛ inferiorū ad ſuperiores incō
cuſſe ſeruet': in p̄cipiēdo ꝛ obediēdo ex virtute charitatis:
Deinde pro rectoribꝰ eccl'ie gn̄alibus ꝛ ſpecialibꝰ: demū
pro ſingulis fidelibꝰ: tn̄ in genere. Quorū latā proſecu=
tionē: quere Lec.23.et.24. Sequit' textus.

approbando et hona cōferēdo — pater — propter ſexu

Memento domine famulo Lectio.25

um diſcretionem

rū famularūqꝫ tuarum N et N Lec.29.

quiete: non circūgirantiū aut perturbantiū.

et omnium circunſtantium: quo

quo ad itellectū.

rum tibi fides cognita eſt: et

quo ad effectū. ſ. pticipationis deſiderium

nota deuotio. pro quibus

ego ſcꝫ ꝛ eccleſia cuius pſonā gero — circſtantes. ſ. q ꝛ ipſi offerūt nō imediate ſꝫ mediāte ſacerdote

tibi offerimus. vel qui tibi

oblationē qua ſumme laudamus diuinam largitatem

offerunt: hoc ſacrificium lau

# Expoſitio

primo q2 caritas ordinata a ſe icipit — ſibi cōmendatis multiplici ratione

**dis: pro ſe ſuiſqz omnibus**

quantū ad peccati remiſſionem

**pro redemptione animarū ſuarū**

quantū ad beatitudinis conſecutionem — quantū ad bona corporis que ſunt infima

**pro ſpe ſalutis et incolūnitatis**

patri — affectiões pias ⁊ opa meritoria: q̄ ſua ſunt propter cooperationē liberi arbitrij ⁊ reddunt propter grām quā accipiūt a te ꝑ quā ſunt meritoria opera

**ſue: tibiqz reddunt vota ſua**

pr̄i: cui appropiatur eternitas — ſpūiſctō: ſpūs eſt q̄ viuificat — filio: q̄ eſt veritas Joā. xiiij. Ego ſuz via veritas ⁊ vita. Ecce tria diuinarū pſonarū atributa: ſcz eternitas: veritas: ⁊ vita

**eterno deo: viuo et vero**

☞ Poſtq̄ꝫ orauit ſacerdos ꝓ oībus recte credentib⁹ fraternaliter. Jn hac particula orat ꝓ quibuſdā ſpecialib⁹ ſingulariter: ⁊ hoc primo premittit̄. Scd̄o q̄d a deo eis petit̄ ſubinfert̄: ibi. ꝓ ſpe. Tertio vt oratio ꝓ eis exaudiat̄ allegat̄: ibi. Tibiqz. Circa primū orans ſacerdos dn̄o dicit. Memento. Non q̄ deus q̄ eternaliter oīa preſentia: preterita: futura: ⁊ poſſibilia: actualiter cognoſcit aliquoꝝ obliuiſci poſſit: vt opus ſit aliqua ſibi ad memoriā reuocare. Siquidē actus diuine cognitionis vnus ⁊ ſimplex ac eternus quo oīa intuet̄ eſt ſua diuina ⁊ infinita eſſentia: ⁊ ideo ſicut neceſſario eſſentia ſua eſt imutabilis: ita neceſſario oīa cognoſcit ⁊ nullius vnq̄ꝫ obliuiſcitur. Sed obliuiſci neſcire ⁊ noſcere deo q̄ndoqz attribuitur ꝑ effectū. Jta ſcire dicit̄ q̄d approbat: vnde dicitur.

Quomō de⁹ dr̄ alic⁹ obliſci ſeu aliq̄d ſcire vel neſcire.

Nouit dñs qui ſunt eius.2. Thy.2. Et neſcire vel obli=
uiſci quos reprobat. Vñ dñs dictur⁹ eſt reprobis. Mat.
7. Nūq̄ȝ noui vos. Et iterꝫ. fatuis virginib⁹ fruſtra ſibi a
periri petētib⁹. Amē amē dico vobiſ neſcio vos. Mat.25.
Ita ꝑuerſoꝝ malicias obliuiſcit̃ ad penā: ⁊ a bono caden
tium merita non recordat̃ ad p̄miū. Ezech.18. Orat igi
tur ſacerdos vt deus memor ſit ꝑ gratie appoſitionē: ⁊ pe
catorū remiſſionē: et ad cōferēdū ea q̄ ſtatim ī hac oratio
ne ſubiūgunt̃. ☞ Sequit̃ Famuloꝝ famulaꝝq̄ȝ tuaꝝ
N. ⁊ N. Hoc ē fideliū te colētiū ꝑ fidem orthodoxā: per
quā ꝓfitent̃ te dñm celi ⁊ terre: ſeqȝ ſubiectos tuos famu
los. Et hic locus eſt: vt ſacerdos ꝓ quibuſdā ſpecialiter
oret: vt ſacrificij fructum ſpecialiter eis applicet. ideo di=
citur N. ⁊ N. ☞ Pro quo diligenter notandum: q̄
ſacerdos ex officio nuncius eſt eccleſie ꝓ populo ad deū: ⁊
ideo offerens ſacrificium in perſona eccleſie: poteſt eius
fructū ⁊ virtutem alicui vel aliquibus ſpecialiter appli=
care. Hanc enim auctoritatem recepit in ſua ordinatōe:
cū in traditione calicis ⁊ panis dictū eſt ad eū: accipe po
teſtatē offerendi pro viuis ⁊ mortuis. ⁊c̄. Vñ eius officij
nō ſolū eſt p̄ces eccleſie ⁊ ſacrificiū eius nomīe deo offerre
ſed etiā vt tenens gradū ſummū in eccleſiaſtica policia
ratione ordinis ſacerdotalis poteſt virtutem ſacrificij et
oblationis determinare: vt illis vel iſtis indigentibus ꝓ
huiuſmodi eccleſie ſacrificio conferat̃. cuius latā decla
rationē req̄re. Lec.26. ꝑ totū. Et ſi queris vtrū ſacerdos
pro libito ſuo poſſit diſpenſare bonū virtute ſacrificij de
bitū cui voluerit. Ad hoc rñdetur ſub hac diſtinctione.
Qñq̄ȝ habet̃ certa doctrina vel obligatio aut preceptū
de applicatione virtutis ſacrificij certis certo mō facien
da: qñq̄ȝ talis non habetur. Si primū: debet ſacerdos in
applcando miſſe fructum: illi doctrine obligationi ſeu

precepto ſe ꝯformare. Qđ ſi cōtrarium faciat: applican
ti ſcȝ ſacerdoti nocet: qꝛ ſic contra preceptū aut doctrinā
applicando peccat: et forte nec proficit ei cui ſic in ordi=
nate applicatꝛ: vt dicit. Sco. Si ſecūdum. ſtat in arbitrio
ſacerdotis cui voluerit applicare. ☞ Pro intelle=
ctu horum conſequenter aduertendū. ꝙ meritum ſeu vir
tus miſſe poteſt intelligi valere alicui in triplici gradu:
ſcȝ ſpecialiſſime: generaliſſime: ⁊ modo medio ſeu ſpecia
liter. Primo modo ſcȝ ſpecialiſſime: tātum valet celebrā
ti: ſaltē digne: qm̄ illi valet tanquā meritum eterne vite
ac premij eſſencialis: ꝓpter motū eiꝰ caritatiuū in deum
quo vult celebrare ex charitate finaliter ꝓpter deū ſuper
omnia dilectū. Hūc fructū alij applicare nō poteſt: qm̄
et ſi quis poteſt alteri mereri primā gratiā aut gratie au
gmentum. nullus tn̄ poteſt alteri mereri premiū eſſen=
tiale: illud eīm correſpōdet merito ꝑſonali cuiꝰ libet: ſm
Apoca.24. illud Opera illoꝝ ſequūtur illos. Et illud. vt referat vnꝰ
2. Coꝛ.5 quiſqȝ ꝓpria corporis ꝓut geſſit ſiue bonū ſiue malum
Generaliſſime valet toti eccleſie: ⁊ ab hoc valore ſacerdos
nullū debet excludere: ſaltem ꝗ eſt mēbrū eccleſie. ſed in
tentione habituali omēs includere ſm inſtitutionem ⁊
vſum eccleſie. ſm quē habet orare pro oībus orthodoxis
catholice ⁊ appoſtolice fidei cultoribꝰ. Tercio modo va=
let illi cui per celebrantē ſpecialiter applicatꝛ. et quātum
ad illū valorē medio modo ordinate ſunt ſpeciales orō=
nes ⁊ collecte pro diuerſis ꝑſonis ⁊ diuerſis impetrādis
ac diuerſa officia ꝓ viuis ⁊ defunctis ab eccleſia: ꝗ habēs
ſpm̄ ſponſi ſui non errat ſic ordinando. Fruſtra aūt eſſet
hec ordinatio ſi oībus eq̄liter valeret. Quantū itaqȝ ad
iſtū valorem medio modo: quāqȝ determinata eſt apli=
catio ex ordinatione eccleſie: ꝗ in diuerſis prochijs inſti=
tuit diuerſos ſacerdotes prochiales: qui tenentꝛ officiare

eccleſias: ⁊ celebrare ſpecialiter pro ſuis ꝓchianis viuis ⁊ defunctis. Sic in diuerſis collegijs ⁊ beneficijs et prebendis diuerſi inſtituunt: qui ſpecialiter celebrēt pro fundatoribus et hijs ꝓ quib⁹ ex ſuis fundationibus obligātur. Etiā pro his: quib⁹ naturali iuſticia et gratitudine aſtringunt: vt ꝓ parentib⁹: benefactorib⁹: ſpūalia ⁊ temporalia cōferētib⁹. Ubi vero nō cōcurrit talis obligatio eſt in arbitrio ſacerdotis quib⁹ hoc tercio modo velit applicare. ⁊ poteſt nunc vni nūc alteri applicare: ſiue vni ſoli ſiue plurib⁹ ex equo ſiue pluribus nō ex equo: ſed ſm̄ diuerſos gradus. vnde imaginat Scotus diuerſos valoris gradus ī iſto medio modo: priores ⁊ poſteriores. Vn̄ poteſt ſacerdos applicare valorē hūc tercij modi alicui in priori gradu: quantum illi valere poteſt in hoc gradu ⁊ nihilomin⁹ ſine ei⁹ ꝑiudicio applicare alij in poſteriori gradu: grā exempli. ordinauit deus quātū officiū miſſe valere debet (ceteris parib⁹) ꝑentibus: quantū fundatoribus: q̄ntū amicis: q̄ntū his aut alijs ⁊ hoc tam ex opere operato: q̄m etiam ex opere operante. Sic ergo poteſt applicare ſacerdos virtutem miſſe fundatori in ſuo gradu vt ſibi tamē valeat quantum ei valere poteſt in iſto gradu: ⁊ tamē ſimul applicare parenti in alio gradu: vt et illi valeat quantum poteſt in hoc gradu et ſic de alijs. et ita quot quot in poſterioribus gradibus applicat: nullū fit preiudicium prioribus: quibus portio ſua debetur non minor q̄ ſi nullus poſterior fuiſſet adiūctus. Quantum aūt debeatur huic vel illi in hoc vel alio gradu: ille ſolus nouit: qui officiū hoc inſtituit: et in eo patri ꝓ omnib⁹ offert et ſcd̄m ſacerdotis determinatōem fructū miſſe partit. ☞ Similiter ſatis dubiū ē quis cui ſit ꝑponēdus: vtrū fūdator parētib⁹: vel ↄtrario: bn̄factor amicis aut ecouerſo. Ideo ſalubre conſilium eſt: vt celebrans:

in miſſa vel ante: generalē applicationē faciat hoc modo vel ſimili: digneris dn̄e oblationē illā acceptare pro illis quib⁹ noſti me obligari ſpecialiter: ⁊ in eo gradu in quo me noſti obligatū. Nec tn̄ debet omitti particularis deter minatio tū ꝓpter multiplicē ſacerdotꝫ obligationem: tū ꝓpter igratitudinis vitationē tū ꝓpter deuotōis actua lis augmentū: qd̄ naturaliter parit bn̄ficioꝝ recordatio ſi gratia dei cōiungat: tū ꝓpter certiorē debiti ipletionē ⁊ cōſcientie ſerenationē. Unde debet ſacerdos i hoc loco particularē memoriā habere eoꝝ viuoꝝ ꝓ quib⁹ ſpecia- liter celebrat: ⁊ pōt noīa eoꝝ ſi nouit vocaliter exprimere aut ſolū cogitando mēte recitare. Nō eīn de hoc p̄ceptū eccl'ie reperit: ⁊ qd̄ dicit noīa: nō intelligo noīa ꝓpria: ſꝫ quodcūqꝫ ducēs in noticiā rememoratiuā pſone deter- minatā vel cōfuſam. ☞ Et ne ſacerdos nimis moret in memoria: vnde circūſtātes tedio affligant: ⁊ ſacerdos a diſtractiōe preſeruetur: vtile eſt ante acceſſuꝫ ſe recolli gere ꝓ q̄b⁹ velit ſpecialiter celebrare ⁊ tūc ſufficeret i hoc loco habere memoriā vni⁹ vel duoꝝ noīatim: ⁊ ceteroꝝ pri⁹ memoratoꝝ in gn̄e: vt ſic cogitādo: illi⁹ ⁊ illi⁹: ⁊ eoꝝ quoꝝ pri⁹ ſpecialē haubui memoriā. Debet etiā fieri me moria pſonaꝝ in genitiuo caſu: ꝓpter ꝯtextū ſequentiuꝫ in canone: ſcꝫ. Et oīum circūſtantiū ⁊c. q̄ ꝯiunctio reqrit ſimiles caſus. ☞ De ordine vero eoꝝ i memoria ha- bēda: vt ſic iuuet memoria celebrātis. nō eūdē modū ſer uāt oēs: ſꝫ inter alios ille videt magis ꝯgruus: vt p̄mo lo co ſacerdos memoret illoꝝ ꝓ q̄b⁹ ꝓ illa vice celebrare ſpe cialiter diſponit. Qui variari poſſūt: q̄ nūc ꝓ illo nūc ꝓ alio: maxime dū nō eſt obligatus certis: q̄ cū ex obliga tione celebrat: tenetur eos quibus ſe obligauit in primo gradu oībus preferre: ⁊ poſt alios in ſequētibus gradib⁹ ſubiungere. Dū vero non ex obligatione: ſiue fundatio- nis: ſiue cure impoſite: ſiue ſponte pro certis aſſumpte

celebrat:ſed pro ſua volũtate ꝑ certis celebrare diſponit
illoꝝ memoriã vt dictũ eſt in primo gradu ſtatuat:ſuo tñ
loco.i.viuoꝝ in prima memoria:defũctoꝝ in ſcda. Dein
de parentũ ⁊ cognatoꝝ carnaliũ ⁊ ſpũaliuꝫ. Tertio cure
ſue ſubiectoꝝ:tanq̃ ſpũalium filioꝝ Quarto confratrũ
ſuorũ:mẽbroꝝ ſcꝫ eiuſdẽ corporis:ſit ecclia:religio:cõfra
ternitas:vel domus priuata:⁊ benefactoꝝ tẽporaliũ:ſint
fundatores vel alij fautores:tẽporalia nobis obſequia
impendẽtes:familiares aut extranei. In q̃bus quilibet
ſibi ꝯſtituat regulã:⁊ ordinẽ ſibi ꝯgruentẽ:q̃bus ꝓmptiꝰ
ſine cõfuſione ſibi occurrãt. Nec opus eſt aduerſarioruꝫ
aut inimicorũ in hoc loco ſpecialẽ memoriã habere:niſi
quis ꝑ illis ſpecialiter celebraret:ſufficit em̃ quantũ ad
illos generaliſſima applicatio. Si tñ quis etiã ſpecialẽ
eorũ memoriã habere maluerit:ꝑfectionis eſt ⁊ nõ culpã
dũ. Nam in hac memoria:charitatis ordo legitimus eſt
ſeruãdus. Ante oẽs tñ ſpecialiſſime ſui ipſius memoria
preferẽda eſt:vt ſupra tactũ eſt. De his oibus la-
tius. Lec.25.et.26. Nec ipedit in huiuſmodi appli- Lec.27.
catione ſacerdotis malicia:excõmunicatio:aut ſuſpẽſio:
Hec em̃ non tollũt virtutẽ ſacrificij:quam habet ex ope
ꝑato qꝛ quãtũ ad hãc virtutẽ:nõ habet ſacrificiũ illud
efficaciã ex bonitate ſacerdotis:ſꝫ ex inſtitutõe xpi ⁊ me
rito ecclie:cuius nũcius eſt ſacerdos celebrãs. Nec
impedit ſuſpẽſio aut excõmunicatio qua ligat̃ ſacerdos:
qꝛ nõ ligat̃ vt nõ poſſit:ſꝫ vt nõ debeat qm̃ poteſtas ce-
lebrãdi radicat̃ in caractere ſacerdotali q̃ eſt indelebilis.
Secus quoad virtutẽ ſacrificij ex merito ꝑſonali ſacer-
dotis:vnde ſtat ſacerdotẽ celebrãdo iuuare alios:⁊ dãna
re ſeipſum:⁊ de iſta materia late. Lec.27.q̃ bene eſt notã
da. Multa ⁊ alia de valore miſſe ſi minor ſit dũ celebrat̃
pro multis quã ſi ꝑ paucis:⁊ quomõ ſine vicio ſimonie:

poſſit miſſa celebrari recepta pecunia ab his ꝑ quib⁹ celebrat̄: ac quomodo aſſumēda ſint anniuerſaria perpetua in eccleſijs ſine preiudicio prius inſtitutorū ⁊ plura alia. Uide lec. 27. et. 28.

Scḋa ps ꝑ̄ncipalis toti⁹ canonis

Lec. 30.
Lec. 31.
Lec. 32.

participātes i obiecto: fidei ſpei ⁊ charitatis: et re hui⁹ ſacramēti — cōgaudendo: imitādo: implorando

**Cōmunicantes et memoriaꝫ**

principaliter — vtraqꝫ glīa corporis ⁊ aie — ꝑpetue

**venerātes In primis glīoſe ſemp**

mēte: corpore profeſſione — ſingularis hui⁹ ſacramēti miſtre — q̄ gn̄atiōe materiā miſtrauit hūanitati xp̄i in hoc ſacramento cōtente

**virginis marie: genitricis dei: et**

ratione vtriuſqꝫ nature dn̄s nr̄ eſt: ſaluator ⁊ illuminator: ſua vnctione docēs nomina.

**domini noſtri ieſu chriſti Sed**

qui a xp̄o ſacerdotes ordinati: primi hoc ſacrificio vſi ſunt et nobis eius ritum tradiderunt.

**⁊ beatorum apoſtolorum ac**

q̄ pro ſemel oblata hoſtia ſeipōs obtulerūt ⁊ effuſione ſanguinis teſtimoniū reddiderunt. — apoſtolorū principis — in tertiū celū rapti

**martirum tuorum Petri ⁊ Pauli**

primo ad apoſtolatum vocati — maioris fr̄is ioānis: ab herode decollati — dilecti dn̄i cui dn̄s matrē virginē virgini cōmendauit

**Andree Jabobi Joannis**

q̄ vulnera reſurgētis tetigit ⁊ a nobis dubietatis vuln⁹ āputauit — minoris: fratris domini eiqꝫ ſimili mi. — de inſeꝑabilitate patris ⁊ filij ſpecialiter inſtructi.

**Thome Jacobi Philippi**

nobilis ac philoſophi pro domino excoriati — ex thelonario in apl'm ꝛ euãgeliſtã vocati

**Bartholomei Matthei**

fratris iacobi mioris ꝛ iude q̄ ꝛ chananeꝰ dictꝰ eſt — q̄ ꝛ iudas frater iacobi: ꝛ e pl'am canonicam ſcripſit

**Symonis et Thadei Lini**

ſucceſſorũ bti petri ĩ põtificatu vniuerſalis eccleſie — pape et martiris — pape ꝛ mris ſucceſſoris fabiani

**Cleti Clementis Sixti Corne**

carthagineſis epi — archidiacõi eccl'ie romañ — martiris

**lij Cipriani Laurentij Griſo**

q̄ fr̄es fuerũt a iuliano apoſtota interempti

**goni Joannis et pauli Coſ**

fratrũ medicine artis pitorũ factorũ a xp̄o medici aſarũ — tam veteris quã noui teſtamenti

**me ꝛ damiani: ꝛ oium ſanctoꝝ**

in via pfectis in patria fuſis

**tuoꝝ Quoꝝ meritis precibus**

credendis intelligẽdis appetendis et agendis

**qꝫ concedas: vt in omnibus pro**

defenſionis et directionis — cõtra oẽs inimicorũ viſibiliũ ꝛ inuiſibilium inſidias

**tectionis tue muniamur auxi**

tuũ vnigenitũ tibi coeternũ ꝛ cõſubſtãtiale

**lio. Per eũdem chriſtum do**

redemptorẽ nr̄m: ſaluatorẽ nr̄m.

**minum noſtrum. amen**

☞ Hec eſt pars ſcd̄a principalis ſacri canonis. In qua poſt petitionẽ bñdictõis appoſitoꝝ muneꝝ: ꝓ tota

eccleſia offerendorum in precedēti parte premiſſam. Se
quitꝛ ſanctoꝝ inuocatio: quoꝝ precibꝰ et meritis eorūdē
donorū nobis a deo facta eſt collatio. Et primo ponitur
ſanctoꝝ inuocatio: deinde additꝛ ꝑ eorū merita et preces
ad deum ſupplicatio. ibi. Quoꝝ meritis. Et circa primū
tangitꝛ primo ꝯmunis ſanctoꝝ memoria venerabiliter.
Scḋo fit memoria glorioſe virginis marie primo ꝛ prin
cipaliter. Tercio exprimuntꝛ quorūdā appoſtoloꝝ ꝛ mar
tirū noīa ſpecialiter. Quarto additꝛ omniū memoria ge-
neraliter: ptes patebunt. ☞ Circa primū cum dr̄. Cō
municātes: erigitꝛ affectꝰ noſter ad ſanctoꝝ inuocatōem.
Nā fiducialiter eos inuocamꝰ: vt ſubueniāt nobis in eo:
in quo nobiſcum ꝯmunicāt. i. qḋ nobiſcū ꝯmune habēt.

Cōmunicāt aūt nobiſcū ſancti generaliter in obiecto
fidei. ſpei. ꝛ caritatis: ꝛ in ipſa caritate. Nā id qḋ credimꝰ
ipſi clare vidēt: qḋ ſꝑamus ſcꝫ beatitudinē: ipſi ꝯphen-
dunt ꝛ ſecuri tenēt: deo quē nos diligimus ipſi fruntꝛ: ea
dem caritate cōſumata: q̄ licet imꝑfecta: ꝛ nos amamus:
qm̄ fidei ꝛ ſpei q̄ nō manēt in patria: ſuccedunt viſio ꝛ tē
tio ſecura. Caritati aūt vie q̄ nō euacuatꝛ: ſed manet non
ſuccedit alia: ſed eadem manens ꝑficitꝛ vt ſit cōſumata.
Cōmunicāt etiam nobiſcū ſpecialiter ī hoc ſacrificio: qm̄
ꝑ medium huiꝰ ſacrificij ꝯſecuti ſunt ſalutē patrie. Ipm̄
enim eſt viaticū ꝑducens ad patriā. vnde dn̄s ait. Jo. 9.
Qui manducat meā carnē ꝛ bibit meum ſanguinem ha
bet vitā eternā: ꝛ ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Etiam in eo ꝯmunicant nobiſcū qꝛ qḋ ipſi ꝑcipiunt
rei veritate: nos frequētamꝰ ſacramentali ſpecie. Cōmu
nio em̄ eſt ꝑceptio vniꝰ ꝛ eiuſdem: in quo vniuntꝛ qui cō
municant q̄uis diuerſi diuerſimode id vnū. ꝑticipent.
Propter hāc igitꝛ ꝯmunionem ſanctoꝝ nobiſcū: fiducia
liter ad eos recurrimus eoꝝ memoriam venerantes: vt

nos fragiles ⁊ mortales mereamur eoꝝ meritis ⁊ precibꝰ ad eoꝝ imortalitatis gloriã ꝑuenire: atqꝫ eoꝝ ſuffragijs de fide ꝑduci ad viſionẽ: de ſpe ad rem. de ſtadio ad brauiũ: de via ad patriã. ☞ Multa ſiquidẽ diſpoſuit dominuꝫ dare viatoribꝰ in tẽpore ⁊ eternitate ꝓpter ſctõꝝ ſuoꝝ merita: vnde ⁊ Azarias orans dñm ait. Daniel.3. Ne auferas a nobis miſericordiã tuam dñe deus noſter: propter abraã dilectũ tuũ: ⁊ Iſaac ſeruũ tuum: ⁊ Jacob ſanctũ tuũ. Et dñs ad ſalomonẽ.3. Regũ.11. Non ſcindã regnũ tuũ in diebus tuis ꝓpter dauid patrẽ tuũ. Et iterum.4. Regũ.20. Saluabo hieruſalẽ ꝓpter me: ⁊ ꝓpter dauid ſeruũ meũ. ☞ Non tñ inuocant̃ ſancti tanq̃ datores bonoꝝ ꝓ quibꝰ oramus. ſed tanq̃ interceſſores apud deũ: bonoꝝ oium largitorẽ. Quare aũt ſancti ꝓ nobis orent (nõ obſtante miſericordiſſima volũtate dei ad nos: propter quã ipſi cura eſt de nobis. vt Petrus ait. Neqꝫ etiã infallibili eius prouidẽtia: qua prouidit multa nobis a ſe donanda. per merita et preces ſanctorum: alias non donanda). Et quomõ ſancti in patria nr̃as preces audiãt fuſas a nobis in via. Quomõ etiã eoꝝ merita nobis proficiãt: cũ ꝓ eis receperint menſurã premij bonã: confertã. coagitatã: ⁊ ſupeffluentẽ: ⁊ pleraqꝫ alia. Vide lec.30. et.31. ☞ Et nota ꝙ neqꝫ ſctõꝝ ve. te. Neqꝫ ꝯfeſſoꝝ memoria ſpecialis ⁊ ex noīe fit mẽtio in canone: q2 patres xp̃m precedentes. licet ſpũaliter: nõ tñ hoc ſacramentũ ꝑceperũt ſacramẽtaliter. Sed ⁊ hec pars canonis ordinata credit̃ priuſq̃ cõfeſſoꝝ memoria ageret̃ in eccl'ia. Etiã q2 in ſacramẽto paſſionis xp̃i: horũ tantũ debuit fieri memoria: q̃ paſſi ſunt ꝓ xp̃o. Oium tñ generalis habet̃ memoria: cũ dr̃: poſt nois aplõꝝ ⁊ martyrũ. (Et oium ſctõꝝ tuoꝝ.) Quomõ aũt ſctõs venerari debeamus: coꝝ beatitudini ꝯgaudendo: fidẽ ⁊ doctrinam Lec.32.

☞ o

immitando: ac eorũ ſuffragia iplorãdo. In hoc diuinaꝫ potentiã: ſapientiam: ⁊ bonitatem laudãtes. Queadmodum quoque pro diuerſis impetrandis: ad diuerſos ſanctos licite recurrere poſſumus: aliaqꝫ in ſanctoruꝫ cultu ſeruanda ⁊ fugienda require. Lec. 32.

Solet aũt ſacerdos cũ dicit ↄmunicãtes ⁊c. ſm ritum multarũ eccl'iarum manus altius tẽdere verſus celũ: vt geſtus corporis ſententie ↄcordet ſermonis: ⁊ cõnexioni militantis eccl'ie cũ triũphante: ꝑ hanc clauſulã ſignificate correſpondendo: altius leuat manus: quaſi volens ſe iungere celeſti electorum ciuitati.

¶ Sequit̃ nunc tertia pars pĩcipalis ſacri canonis. ⁊c.

Lec. 33.

quam in cõmunione ſanctorũ offerimus.

**HAnc igitur oblationem**

latrie adorationis ſoli deo debite — imediate offerentiũ ſcꝫ ſacerdotũ — omniũ fidelium adiun-

**ſeruitutis noſtre: ſed et cuncte**

ctorum: voto et conſenſu offerentium — pr̃ clementiſſime

**familie tue: queſumus domine**

reconciliatus clero ⁊ populo.

**vt placatus accipias: dieſqꝫ**

vite preſentis — omnia aduerſa nos a te ſeparare conantia repellendo: ⁊ tibi conſentanea inſpirando

**noſtros in tua pace diſponas**

que a te ſeparat perpetuo corpuſqꝫ ⁊ animã ſine fine cruciat.

**atqꝫ ab eterna damnatione**

preſeruando ⁊ liberando vt non incidiamus — qui ꝑ grãm finalis electionis a maſſa ꝑditionis ſunt ſeparati

**nos eripi: et in electorum tuorũ**

ſcd̃m p̃ſentẽ iuſticiã: q̈ p̃deſtinatio eterna nõ mutat̃ vel illa media ↄferẽdo q̃ ab eterno p̃deſtinatis ſunt p̃uiſa: qb⁹ effectũ p̃deſtinatõis ↄſequũtur

**iubeas grege numerari. Per**

Aliq̄ hoc nō dicūt ꝓpter ꝯnexionē ſequētis orōnis

# chriſtū dominū noſtrū. Amen.

☞ Hec eſt pars tertia pricipalis ſacri canonis: i qua poſt ſctōꝝ inuocationē petit acceptio oblatōis ꝛ ſacrificij placida. Primo gn̄aliter. Scd̄o quantū ad ꝯmoda tēporalia ꝛ eterna ſpecialiter. Et tertio quantū ad finem q̄ eſt trāſubſtantiatio principaliter: ſcd̄a ibi (Dieſq3) tertia ibi (Quā oblationē). Circa primū petit ſacerdos vt hec oblatio ſua ſ3 ꝛ cūcte familie xp̄i (oblatio inq̄ debite ſeruitut3. i. cultus latrie ſoli deo debite: q̄ in hoc ſacrificio principaliter deo exhibet intellectu ꝛ affectu: fide ꝛ charitate: profitēdo i hoc ſacramēto fore vere ꝛ realiter deū: primū ꝛ vl̄e oīum principiū: ꝛ finem: ꝛ vt talē diligēdo) placide accipiat: nō quātū eſt ex parte ſacrificij in ſe: q̄m illud deo diſplicere nō poteſt: cū dilectiſſimus fili⁹ ſuus ſibi offerat: in quo ſibi ſemꝑ bene cōplacet: ſ3 petit acceptari quātū eſt ex parte miniſtroꝝ eccl̄ie offerentiū occaſione quoꝝ nōnunq̄ acceptū nō eſt. Dū ſc3 indigne offerūt: q̄bus ꝑ Hierenuā. 9ᵒ c. ait. Quid eſt q̄ dilect⁹ me⁹ in domo mea facit ſcelera multa. Nunq̄d carnes ſancte auferēt a te malicias tuas i q̄b⁹ gl̄iata es: quaſi diceret. Nō. Lec. 32.

☞ Petit ſcd̄o a deo patre vt ſm̄ vniuerſale eius dominiū q̄d habet in celo: terra: atq3 iferno: triplici ſc3 machina mundi. triplicia bona cōferat. In terra trāquilitatē qua dies nr̄os: in ſua pace: nō pace cū mūdo qualis eſt pax pctōꝝum: diſponat. In inferno: vt nos ab eterna dānatione eripiat. In celo vt nos in grege electoꝝ ꝯnumerari iubeat. Per xp̄m dn̄m nr̄m. Qui traditus eſt in manus eoꝝ qui pacē oderūt: qui ad inferna deſcendit: ꝛ patres inde liberauit: qui aſcendēs ad celos preceſſit nobis parare locū: vt veniens nos recipiat ad ſe ipſum: vt vbi ille eſt ꝛ nos ſimus vt promiſit nobis Joañ. 14.

panis ⁊ vini noſtre ſeruitutis et cuncte familie tue — pater clementiſſime

**QVã oblationẽ: tu deus in**

exiſtẽs tuis creaturis: vel in oibꝰ offerẽtibꝰ: vel in oĩbus hoſtijs: vel in oĩbus modis — nos benedictos efficiendo

**omnibus queſumus bene ✠ di**

nos celeſtibus aſcribendo — firmã non mutandã

**ctam: Aſcrip ✠ tam: ra ✠ tam**

nos a ſenſualitate ad recte rõnis dictamina eleuãdo — beneplac tã: ⁊ nos tibi gratos redendo

**rationabilem: acceptabilẽqȝ**

tua paterna pietate — ex ipſa oblatione panis ⁊ vini

**facere digneris: vt nobis**

verum — verus — tua oĩpotẽte virtute

**cor ✠ pus et ſan ✠ guis fiat.**

Sũme ⁊ infinite dilecti qꝛ tibi cõſubſtãtialis ⁊ equalis: in omni rõne diligibilitatis — in cuiꝰ manu potenti nos ⁊ cũcta ſumnius poſiti

**dilectiſſimi filij tui domini noſtri**

ſaluatoris ⁊ redẽptoris vnici

**ieſu chriſti**

Hec eſt tertia particula: partis tertie principalis ſacri canonis: in qua petitur perfectio oblationis quantum ad finẽ principalẽ: q̃ eſt tranſubſtantiatio: vt ſcȝ ex eſca et potu materialibus: fiat nobis corpus verũ xp̃i: ⁊ ſanguis eius verus. Et primo petit̃ oblationis grata acceptatio. Scd̃o corporis xp̃i ⁊ ſanguinis conſecratio:

☞ Quo ad primũ petitur ꝙ oblationẽ hãc faciat benedictam effectiue: vt ſcȝ ꝑ ipſam benedicamur ꝑ multi-

plicationē ſpūalium bonorū. Aſcriptā: vt p eam ange‍lorū ſocietati in celo aſcribamur. Ratam id eſt firmā: vt ipa vſqꝫ ad cōſumationē ſeculi pfruamur. Rationabilē: vt peā ſpū vegetati a beſtiali ſenſu exuamur: ad cōgrue diſcerne dum credēda ꝛ agenda. Acceptabilē: p quā tibi deo grati ꝛ acceptabiles reddamur. Que ꝯditiones diffe‍rūt ſacrificijs veteris teſtamēti. Ipſa eñ non fuere bene dicta: qꝛ vacua: tantū ſignificabant ꝛ ꝓmittebant: nō cō‍ferebant ſalutē. Neqꝫ firma: qꝛ ſucceſſione legis gratie reuocata: Nec aſcripta ad perpetuā memoriā qꝛ mutan‍da. Sed nec rationabilia ſpiritū vite conferentia: ſed ma‍gis litteralia ſenſibilia ꝛ carnalia. Nec tandē acceptabi‍lia ꝛ ex ſe deo accepta: ſicut dicit in pſalmiſta: vtiqꝫ holo‍cauſtis nō delectaberis: ſꝫ magis: ne ydolis exiberentur: ꝓmiſſa. Sequit. Ut nobis corpus ꝛ ſanguis fiat. p ſub‍ſtantialē conuerſionē panis ꝛ vini in ipm. Dilectiſſimi fi‍lij tui dñi nři ieſu xpi. Sacerdos cū hec profert poſt in‍clinationē in priori orone factā corpore: ꝛ mente per cor‍dis humilitatē: qua ſe recognoſcit ad tanta miſteria indi‍gnū: ſe erigit corpore: vt mentē ad celū eleuet: obſecratu‍rus: quatinus manna celeſte qđ ſup nos eſt: deſcēdat in ſacrificiū altaris: id patre clementiſſimo efficiente: exem‍plo eius q̄ orādo ait. Ad te leuaui oculos meos q̄ habi‍tas in celis. Eleuat etiā manus ad celū in alto ꝯplicans: ꝛ deponit: ad excitandū cōformiter ad verba: effectum. Quaſi dilectiſſimū patris filiū: amoroſe affectionis bra‍chijs ad ſe ſtringere deſideret: atqꝫ deuotiſſime amplec‍ti. ☞ Format etiā ſacerdos quinqꝫ cruces: tres ſup oblatā ꝛ calicem cōiunctim: in his verbis. Benedictam. Aſcriptā. Ratā. Quartā ſup oblatā tm̄: in verbo: cor‍pus. Quintā ſup calicē tantū in verbo: ꝛ ſanguis. Cuius ratio conformiter ad predicta hec eſt. Quia ſicut per tres

cruces in principio canonis factas ſignificatur xpi tradi
tio. Jta per has quinqȝ cruces deſignat̃ xpi venditio fa
cta triplicib⁹ ꝑſonis: ſcȝ ſacerdotibus: ſcribis: ⁊ phariſeis.
Vel preciū venditōis ſcȝ ter decē argētei. Et ꝑ quartam
⁊ quintā cruces ſignificant̃ ꝑſone: vēditi xpi: ⁊ vēdentis
iude: que qm̄ valde diuerſe fuerunt in dignitate: ſepara
tim fiunt: vna ſuper oblatā: alia ſuper calicē. Alie ratio=
nes ponuntur ab alijs: ſed ille ſufficiant.

Pars quar
ta principa=
lis ſacri cano
nis
Lec. 43.

dilectiſſim⁹ filius tuus — ſcȝ prima die azimorū que fuit xiiij. lune primi menſis

**QUi pridie quam pateretur**

materialē cōuertendū ſanctificantes in corpus ſuum

**accepit panem in ſanctas ac**

veneratione latrie propter vnitam deitatem — quarū cōtactu vim dedit vt eſſet materia idonea eukariſtie

**venerabiles manus ſuas.**

ad deſignandū dignitatē ⁊ arduitatē inſtitutōis hui⁹ ſacramēti: ⁊ qđ po
teſtatē cōficiendi habet a pře ſcđm vtrāqȝ naturā Et vt nos inſtrueret le
uare oculos mentis ⁊ corporis in agendis maxime in hoc ſacramento
conficiendo in celum.

**et eleuatis oculis in celum:**

a quo omne datū optimū ⁊ oē donū per=fectū deſurſum eſt deſcendens — nā minor potētia nō ſufficit ad tm̄ opus cōueſionis.

**ad te deum patrem ſuum oipoten**

ꝓ nobis nō pro ſe — ꝓ tāto dono ad nřam ſalutem ordinato — conſecrando

**tem: tibi gratias agens bene ✠ di**

poſt ꝯſecratōnē ȝ nō pa nē ſȝ panis ſpeciem — ſuis ma nibus — ſingulariter ſin= gulis

**xit: fregit: dedit diſcipulis**

nō alienis ſꝫ ſibi fide ꝛ charitate adherētib⁹ cū grā℞ actione ꝛ beniuolentia. Non rapite violenter qđ faciūt accedētes idigne.

ſuis dicens. Accipite et man

ſpūaliter: accepitū ſacramentaliter pane in corpus conuerſo in cena preſentes inter quos ꝛ iudas traditor fuit

ducate ex hoc omnes.

Hec eſt pars principalis quarta canonis. In qua premiſſis primo orōnib⁹ ad patrē clementiſſimū ꝓ appoſito℞ muner℞ benedictiōe. Et ſcđo ſctō℞ ꝯmemoratione ꝓ bn̄dictionis impetratione. Addita tertio deprecatione ꝓ oblationis acceptatione: procedit nunc in iſta parte quarta ad ſacrificij ꝑfectionē: ſcꝫ materie idonee ꝛ ſanctificate cōſecrationē qua panis viniqꝫ ſubſtātia in verū corpus xp̄i ꝛ ſanguinē cōuertunt. Et ſubdiuidit pars illa in duas partes. In prima fit cōſecratio panis. in ſcđa vini: ibi. Simili modo poſtq̄ꝫ cenatū eſt. In prima parte premittunt mod⁹ inſtitutionis hui⁹ ſacramēti a xp̄o. Scđo ponit verbo℞ forma qua ꝑficitur ipſa ꝯſecratio: ibi. Hoc eſt eīn. ☞ Circa primū tangit hui⁹ inſtitutiōis tēpus ꝛ hora: cū dicit. Qui pridie quā pateret: id eſt. 14. luna primi mēſis. Nā die. 15. paſſus eſt: ꝛ. 14. q̄ erat prima azimo℞ paſcha comedit cū diſcipulis ſuis ad veſperū poſt cuius eſum dn̄s ſacramentū inſtituit. In ipſa nocte cōprehenſus: mane paraſceue paſche crucifixus eſt: vt manifeſte patet ex decurſu euāgelio℞. Matth. Mar. ꝛ Luce. Licet greci errauerit: dicētes ꝙ xp̄s cenā vna die ꝓuenerit. Quo℞ rōnē ꝛ erroris eo℞ reprobatōes: vide lectione. 34. late. Sequit (accepit panē in ſctās ac venerabiles manus ſuas). Hoc contactu: panē deputauit in materiā hui⁹ ſacrificij. Nā ſicut ſm Bedā xp̄s tactu ſue mūdiſſime carnis dedit vim regeneratiuā aq̄s: deputādo aquā vt eēt materia ſacri bap- Lec. 35.

tiſmi. Ita ⁊ acceptione panis i ſanctas ⁊ venerabiles ma
nus ſuas: vim pani tribuit: vt ex eo tanq̄ ex congrua ma
teria corpus ſuū ꝯfici poſſet. Hec aūt vis aque pani aut
vino data: nō eſt aliqua q̄litas aut entitas poſitiua aque
pani vel vino impreſſa. Sed eſt deputatio hoꝝ a deo vt
eſſent materia congrua ſacramētoꝝ baptiſmi ⁊ eukariſtie

Eſt autem concors omniū catholicorum doctorum ſen
tentia: ꝙ materia neceſſaria ad conſecrationē eukariſtie
eſt panis ⁊ vinum de vuis vitium expreſſum. ☞ Sed
vtrum omnis panis et vinū ſit apta materia eukariſtie
ſunt opiniones doctorum. Sunt qui dicunt qꝺ ſolus pa
nis triticeus eſt materia apta eukariſtie ſub ſpeciebus pa
nis conſecrande. Ita qꝺ ſi conſecratio in pane ſpelticeo:
ordeaceo: vel ſiligineo attemptaretur nihil fieret. Cuius
precipuam cauſam dicūt eſſe diuinā inſtitutionem: quā
ex eo colligunt: quia chriſtus ſe grano frumēti compara
uit. Ioā. 12. Niſi granum frumēti ⁊c̄. Frumētum autem
vt dicunt triticum ſignificat. ☞ Alij tenent oppoſi=
tum dicentes omnē panem vſualem: ſiue de tritico: ſiue
de ſpelta ſeu alio grano: vnde vſualiter panis conficitur
eſſe materiam aptam: ita vt in illis fieri poteſt cōſecratio
dum tn̄ ſit coctus de grano ariſte: q̄ñ coctus de fabis: len
tibus: aut piſis non eſt materia apta. De harum opinio
nū motiuis late habes. lic. 35 Cautiꝰ itaq3 eſt ac cōſultiꝰ
vti pane triticeo in ꝯſecratione eukariſtie: qꝛ ibi nulla eſt
opinio contraria: licet opinio prima tenens ꝙ in ſolo pa
ne triticeo fiat conſecratio: nō ſit ſufficienṫ fundata: imo
forte nec probabilis vt patet loco allegato. Utrū etiam
omnis panis triticeus ſit ꝯueniens materia: queſtio eſſe
poſſet. Ad quod breuiter dicit̄: qꝺ ſic ſiue ſit azimus ſiue
fermentatꝰ. dū modo tn̄ coctus eſt qꝛ paſta non eſt apta
materia cōſecrationis: q̄ñ paſta nō eſt panis nec aptum

hominis nutrimentū. Qđ aūt vterqȝ panis tā azimus ꝙ̄
fermentatꝰ ſit apta materia ꝯſecrationis eukariſtie patet
qm̄ non differūt ſm ſpeciē ſed ſolo accidente. Et ſicut
